



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Prophanum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

## PROPHEANUM. CAP. I.

*Ανομι-  
ασι  
1706, ci-  
tatur à Plu-  
tarch. in  
Sympos. de-  
cimo 7. c. 4.  
Et Adag.  
xviii. p. cent.  
1. prob. 74.*

Propheanum in primis atq; abominabile per piscem apud Ægyptios Sacerdotes significari prodi-  
tum, quem & pollutum aiebant, & à mensis suis amovebant, in eo scilicet piscium genus damnan-  
tes, quod hi plurimum alter alteri grassatur cibi causa: præterea quod nullius sit nutrimenti, tan-  
quam facile computrescat, ut cum minime afferari possit, proverbium in foriddos emanat, *Pisces*  
*repositus*, ut apud Plautum dicitur vulgatum, *piscis nequam nisi recens*. Quin etiam constat Athio-  
pas illos qui sola piscium alimonia victarunt, brevioris omnino vitæ quam nos esse. Denique ut  
in Phædone est apud Platonem, nihil nasci in mari Jove dignum existimabant. Sane Zoroaster una  
cum Magis, inter animalia, quæ bonis malisq; genis obnoxia sint, discrimen posuere, ut bonis deli-  
cata opinentur, velut Canes, & volatilia, & Testudines terrestres: malis vero, aquatica omnia, cum-  
que beatum putant evasurum qui plura enecet.

## DUÆ MORTALIUM CONDITIONES. CAP. II.

*Pinnatorii  
& Squamo-  
sorum pi-  
scium his  
rolypbica.*

Illud ad hanc usq; diem à Judæis magna religione servari manifestum, ut ex Mosaica legis præ-  
cepto piscem non attingant, nisi qui pinnatus sit & squamosus lubricos vero lævesq; omnes aver-  
sentur, id quod ita interpretatur Adamantius, ut per aquas, mare vitæ hujus intelligat, in cujus flu-  
viis mortales assidue volutamur: in hoc mari nostro pisces, qui pinnulis juvantur, & squamis mu-  
niuntur, ad superiora facile sustoluntur, & aëri hinc viciniore sunt: veluti qui libertatem spiritus  
quærant. Talis est ergo sanctioris vitæ vir quisque, qui intra retia fidei conclusus bonus piscis ab  
Assertore nostro nominatur, & in vas conservationis immittitur. Squamosis vero quorsum per hos  
intelligit idem author homines qui parati sint vetera indumenta deponere, novumq; hominem in-  
duere, & ut Gregorius Nazianzenus diceret, *ἐγκαταίξω*. Latini Græcam secuti locutionem, *Encantare*  
dixerunt, ut ita omni mentis duritia deposita, animum Deo tractabiliorem efferamus. Qui vero  
neq; pinna, neq; squamas habent, in imis semper versantur vadis, & in cæno plurimum volutan-  
tur, veluti sunt Anguilla, Rhombi, & hujusmodi reliqua, quæ nequeunt ad aquæ summitatem ascen-  
dere, ad superiora quippe pervenire: atque in sunt qui luto, hoc est, turpitudini & vitii inhæsitatio-  
*Innotare, à  
fessitate  
novæ dedi-  
cationis  
templi ab  
eis, & nas-  
centibus, novo*

tes ad vitales auras superioremq; spiritum attolli nequeunt: adeo carne turgidi & undecunque op-  
pleti, confertiq; sunt, ut neque deponere facile quicquam possint, neque se attollere, aut ab eis qui  
affixi sunt face sublevare. hoc ita terrestrium affectu gravati, ut nullam cælestium curam suscipiant,  
crapula tantum, libidinibus, cupiditatibusq; suis implicati: quibus quidem voraginibus hausti, si-  
mulatque ceciderint, nihil quicquam conantur emergere, sed ita recumbentes, in eodem quo hæse-  
rint luto volutari delectantur. Eodem involvuntur cæno Philosophi, qui naturæ tantum principis  
insistunt, ad naturæ vero ipsius authorem, cuius Spiritus super aquas fertur, numquam attolluntur.  
Eodem implicantur Jurisconsulti, qui leges non justitiæ studio, sed lucri tantum cupiditate profes-  
tentur. Eodem volutantur sacerdotes, qui cæremonias oretenus profsequuntur: quid vero per  
cæremonias intelligi fieri debet aspernantur. Quin etiam Oratores, neque non Poetæ, qui faci-  
diæ tantum ubertatem, affluentissimosque verborum fluctus, ingentemq; vocum strepitum, cano-  
rasq; nugas admirantur: quæ vero ad integræ vitæ institutionem faciunt, nihili pendunt, una cum  
superioribus in imo hujusmodi fundo, quippe ubi lividissima maximeque est profunda vorago si-  
pini detinentur. Atque hoc est illud profanum, quod vetus illa pietas tantopere averfabatur. Gen-  
tes tamen aliquas inveniunt (ut alienigenarum quoque instituta conquiramus) quibus pisces sacri-  
ficare mos fuerit: veluti Ærotii faciebant, qui selectiores quasdam Anguillas ex eo genere quæ Ca-  
paides appellantur, præcipuæ commendationis in Eubœa, Diis immolare consueverant. Passim vero  
piscatores Neptuno Thunnum, qui maximus esset, sacrificabant spe capturæ. Et Phælitæ Lyciæ po-  
puli salsamenta Cylabræ cuidam heroi offerebant, ejus condituræ pisces ita puros arbitrati, ut deos  
etiam alios pisciculis hujusmodi sale conditis placari opinarentur: Sunt vero qui apud eos id ea  
de causa institutum scribant: quia regio illa ab origine prima salsamenti ex pisce factis empti  
fuerit.

*Piscium sa-  
crificium.*

PURI.